



**Venerabilis Bedæ Presbyteri Anglo-Saxonis, Doctoris  
Ecclesiæ Vere Illuminati Opera Theologica, Moralia,  
Historica, Philosophica, Mathematica & Rhetorica,  
quotquot hucusque haberi potuerunt omnia**

In Vetus Et Novum Testamentum, Salvberrimis In Moysis Pentatevchvm,  
Tobiam & Iobum, Libros Regum, Davidis Pasalmos, Parabolas Salomonis &  
Cantica, Prophetas &c. explanationibus & Quæstionibus enodata:  
Moralibus doctrinis & expositionibus in quatuor Evangelistarum Evangelia  
illustrata: facundissimis ...

**Beda <Heiliger>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1688**

De cyclo paschali

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72031)



## CANONES LUNARIUM DECENNO- VENNALIVM CIRCVLORVM.



**S**i nosse vis quotus sit annus secundum Græcos duntaxat, multiplica 15. per 418. fiunt 6270. adde indictiones anni cuius volueris, quæ præsentis anni 2. esse comprobatur, & fiunt 6276.

Si nosse vis indictionem quota sit, sume annos ab Adam quos habueris, & eos partire per 15. quot remanent, tanta est indictio: si nihil remanet, 15. est.

Si nosse vis quotus sit circulus solis, sume jam dictos annos, & eos partire per 28. & quot remanent, tantus est circulus solis.

Si vis scire quid sit concursus, sume circulum solarem, qui nunc 28. esse comprobatur, & quartam ejusdem numeri ipsi adjicias, partire per septem, & quot remanent, tantus est concursus in 9. calendarum Aprilium.

Si nosse vis quotus sit circulus lunæ, sume annos ab Adam, & hos partire per 19. & quot remanent, totus est circulus.

Si vis scire quota est epacta, sume annos decennovennales quot fuerint, & de ipsis subtraha semper unum, & illos alios multiplica per 11. & postea partire per 30. & quot remanent, tota est epacta.

Si nosse vis, quotus sit annus ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, scito quot fuerint ordines indictionum, utputa quinto anno Tyberii principis 46. hos per 15. multiplica, fiunt 690. adde regulares 12. quia quarta indictione secundum Dionysium Dominus natus est: & indictione anni cui volueris, utputa in præsentis, una fiunt 703. illi fiunt anni Nativitatis Domini.

Si vis quota sit indictio scire, sume annos ab Incarnatione Domini, id est, 775. his semper adice 3. fiunt 778, hos partire per 15. remanent 13. terdecima est indictio anni præsentis, si nihil remanet, 15. est.

Si nosse vis quotus sit circulus lunæ, sume annos Domini, utputa 774. & subtraha semper duo, & remanent 762. hos partire per 10. & 9. remanent duo, secundus circulus lunæ decennovennalis est, quotiens nihil remanet, 19. est.

Si vis scire quota sit epacta, computa à primo anno decennovennali, usque in diem quem volueris, utputa in quintum annum. Dimitte semper 1. remanent 4. multiplica per 4. annos 11. annuas epactas, & facies quater undecim, 44. 14. est epacta in secundo circulo decennovennalis. Ita per omnes 10. & 9. annos sub hac breviatione computabis.

Si nosse vis adjectiones, id est, concurrentes septimanæ dies, sume annos ab incarnatione Domini quot fuerint, utputa 764. per indictionem secundam, & annorum qui fuerint quartam partem semper ipsis adde, id est, nunc 190. & 11. fiunt simul 955. his adde regulares 4. & fiunt 959. hos partire per 7. remanent 7. Septem sunt epactæ solis, id est, concurrentes septimanæ dies, per superscriptas indictiones 2.

Si vis scire quotus sit annus cycli 10. & 9. annorum, sume annos Domini quot fuerint, utputa 764. & unum semper adice, & fiunt 765, hos partire per 10. & 9. remanent 5. quintus est annus cycli decennovennalis, quod si nihil remanerit, 19. est.

Si nosse vis quota sit indictio, sume annum Domini, & adice 3. partire per 15. & quod remanet, ipsa est indictio anni præsentis.

Si vis scire quota sit epacta lunares, partire annos Domini per 10. & 9. & quod remanet, multiplica per 11. Item partire per 30. & remanent epacta.

Si nosse vis concurrentes septimanæ dies, sume annum Domini, & eorundem annorum qui fuerint, quartum semper adice super annum Domini. His quoque 4. adde, quia quinque concurrentes fuerunt Nativitatis Domini: hos partire per 7. & remanent epacta solis.

Si vis scire quotus sit annus circuli decennovennalis, sume annum Domini, & unum addens: quia secundo ejusdem anno natus est, partire 10. & 9. & quod remanerit, ipse est annus circuli decennovennalis.

Si nosse vis quotus sit cyclus lunaris est, sume annos Domini & unum, divide per 9. & quod remanerit, ipse est annus circuli lunaris.

Si vis scire bissextilem annum, partire annum Domini per 4. quantum remanerit, tot anni sunt à bissexto.

Si nosse vis quot punctos unaquæque luna in die luceat secundum Romanos, sume dies à Januario, utputa in Non. Martii 66. Vide quotus sit cyclus lunæ, utputa 6. multiplica ipsum circulum lunæ quinquies, fiunt 75. adde ad dies 200. Januarii, fiunt 115. de 60. bis 120. remanent 6. ipsi sunt puncti lunæ ipsius quod luxerit, id est, hora & punctus horæ secunda.

Si ipsam lunam vis invenire, memento quod habueris in summa, antequam per 40. partieris, & quotiens deduxisti 40. tot asses adjicias ad summam eandem, & iterum multiplica tuum circulum lunæ sexies, junges ad summam, deinde per 30. & lunam ejusdem diei invenies.

Si vis scire initium quadragesimæ quando annus communis est, require à pascha usque in idus Aprilis, quot dies ibidem inveneris, totidem computa dies à Calend. Mart. retro, hoc erit initium quadragesimæ. Quando verò embolismalis annus fuerit, computa à pridie iduum April. usque in Pascha, & quot dies ibidem habueris, totidem dies require à Calend. Mart. ante, & hoc erit initium quadragesimæ. Et hoc nolo te fallere, quia communibus annis Pascha semper ante pridie idus Aprilis habetur: Embolismus semper antea extenditur.

Si vis scire quota sit epacta anno quo volueris, computa quota sit luna in 11. Calend. Aprilis, & ipsa luna erit epacta. Verbi gratia: si luna fuerit 9. in 11. Calend. April. ipsa erit epacta, vel quo numero lunam inveneris, ipsum numerum epacta habebit. In quali autem articulo vel junctura in eodem anno epactam habueris, in ipso terminum paschalem & cyclum lunæ ibidem tenebis.

Si vis scire quota sit luna in initio quadragesimæ, computa in quo volueris anno, in quota feria evenerit terminus paschalis, & in ipsa feria incipe, & computa à secunda luna per singulas ferias, usque in dominicam, & quodammodo ibi lunam inveneris, sic erit initio quadragesimæ. Similiter & in Rogationes lunam computa, in ipsa feria à 21. usque in secunda feria post dominicam, & quomodo ibi inveneris, ita erit luna Rogationis. Si in 11. Calend. April. fuerit luna 15. seu 14. aut 13. vel minus, in ipsa lunatione poteris Pascha celebrare. Sin autem in 11. Calend. April. fuerit à 16. aut 17. vel amplius in ipsa lunatione, nullo modo poteris pascha celebrare, nisi peracta ipsa lunatione, & alia subsequente pascha in illa lunatione sine ulla ambiguitate poteris celebrare. Si verò in 8. idus Martii fuerit nata luna, aut post 7. idus Mart. usque in nonas April. in ipsa lunatione pascha nullo modo celebrabis.

Si vis scire quota sit luna initio quadragesimæ, sume lunam paschæ anni cuius volueris, & tolle inde semper 12. &



quot remanent, tota luna erit initio quadragesimæ. Verbi gratia: Si 15. erit luna paschæ, tolle inde 12. remanent. 3. tertia erit luna in initio quadragesimæ.

Si vis scire quando bissextus sit, sume annum Domini, ut est annus præsens 888. hos partire per 4. si nihil remaneret, bissextus est. Si autem 1. aut 2. aut 3. remanserint, bissextus non est. Et ne tibi forsitan aliqua caligo erroris occurrat per omnem computum quem ducis, si nihil superfuert, scias eundem computum esse, per quem ducis, ut puta si per 10. & 9. ducis, & nihil superfuert, scias 10. & 9. esse. si per 15. 15. si per 17. 7.

Quærenda est nativitas lunæ 14. ab 8. idus Mart. usque in nonas April. quæ primi mensis novorum initium ostendit, à 12. Calend. April. usque ad 14. Calend. Maij, in quacunque die luna 14. occurrerit, ipsa te ad celebrationem sancti Paschæ perducet. Si verò 14. luna ante 12. Calend. April. occurrerit, hoc est, aut 13. Calend. April. aut 14. aut 15. Calend. April. scito quoniam paschalis luna non est: sed cum eandem lunam 30. produxeris, alia die nata fuerit, in ipsa cautè sanctum Pascha celebrabis. Similiter cautus esto, ut 14. Calend. Maij, luna 14. non transcendat, aut ad 13. Calend. Maij, aut ad 15. Calend. Maij. Nam incipies in magnum deduci errorum. Christianorum verò pascha ab 11. Calend. April. usque in 7. Calend. Maij, quocunque die Dominico luna occurrerit, sanctum pascha modis omnibus celebrabis. Quod ante 11. Calend. April. etiam si luna occurrerit, vel post 7. Calend. Maij, pascha nullatenus celebrabis.

Tribus ergo locis bissextus intercallatur, Primò 6. idus Februar. Secundò ubi frequentissimè ponitur 6. Calend. Mart. Tertiò nonas Mart.

Cyclus Græcè, circulus Latinè, Ogdoas 8. anni Hendicas 11. sunt Hen Græcè, 1. latinè, decas 10. Computus est à natali Domini, usque ad natalem, id est, lunæ cyclus. Item alius computus est à Pascha, usque ad Pascha: ubi prima luna erit in Januario anno præsentis. Ibi iterum in secundo, in eodem loco erit luna 11. Communis annus qui 12. lunationes habet. Embolismus qui 13. lunationes habet. Decennovennalis, ex corruptis compositus est, ex 10. & 9. & annalis. Bissexus in uno mense 20. momenta: in duobus horam, in anno sex horas, & ideo bissextus dicitur: quia bis Calend. Mart. habet. Saltus lunaris crescit singulis annis horam & 10. momenta, & dimidium momenti, & 19. partem dimidii momenti. Ad complendum verò lunæ saltum ansvatim (ut diximus) hora & punctus, & decimanona pars unius puncti accrescit. Non ergo eisdem articulis temporum vel cœli climatibus lunæ celebratur accensio,

sed semper aliquanto citius quam præcedente mense, ut sit undemus anno 19. decimus transliebatur dies 8. Calend. Julii longissimus dies, & brevissima nox. Totius anni solstitium æstivale faciunt 8. Calend. Januar. longissima nox, & brevissimus dies totius anni, solstitium hyemale faciunt.

CANONVM FINIS.

